

esse debet; hoc autem vocamus objectum. Fines autem remoti, plures esse possunt, ut inquit D. Thomas, et sic non se tenent ex parte specificationis, sed circumstantiæ sunt: quod etiam contingit in actibus a voluntate elicitis, quia etiam electio aliqua, potest a pluribus finibus remotis dependere, quorum unus sit sub alio, et sic illos respicere potest ut circumstantes, non ut specificantes, quia specificatio semper est ad unum formaliter, quia species ipsa, est una. Qua etiam ratione intelligitur quod docet D. Thomas infra quæst. XII, articulo tertio, quod homo potest simul plura intendere, licet non ad invicem ordinata, sicut intendit aliquid, quia ad plura valet: illa enim plura se habebunt ibi, vel accidentaliter vel materialiter; formaliter enim, semper intendit illa, ut concurrunt in uno, vel accipiuntur ut unum in aliquo tertio, licet inter se subordinata non sint, ut ibi docet D. Thomas, solutione ad tertium.

LVII. Quod autem in genere, et linea morali, objectum, seu finis proximus det speciem essentialem, licet ea species, comparata ad actum in esse naturæ, accidentaliter sit; non difficile est intelligere, quia etiam in accidentibus, sua species, et quidditas est, licet si comparentur cum subjecto, accidentaliter se habeant, ut facile est videre, tum in naturalibus, tum in artificialibus; eadem ergo ratio erit de moralibus. Constat enim in naturalibus, album in ratione albi, colore ut genere, disgregativo, ut differentia, essentialiter constitui, cum respectu corporis, nihil nisi accidentale conferat: visivum et visio a suo objecto specificantur essentialiter; anima quæ ejus subjectum est, nihil istorum nisi accidentaliter respicit, et visiones diversæ, a diversis coloribus species suas, et specificationes habent. In

artefactis, essentiali specie distinguitur unum arte factum ab alio, verbi gratia, scutella, seu vas auri, a catena aurea; cathedra lignea, a scamno; clavis a martello; in ratione tamen naturalis materiæ, omnia hæc accidentaliter se habent; et potest stare, quod sint duæ species essentialiter diversæ in genere arte facti; et in genere naturæ sint ejusdem speciei, ut torques aurea, et scutella aurea in materia conveniunt, in artefacto differunt. Et contra vero clavis aurea, et ferrea, conveniunt in artificiali, differunt in naturali. Quidni ergo similiter in moralibus, dabitur essentialis differentia in linea, et genere morali, licet accidentaliter sit actui in esse naturæ? Quod si in genere morali, essentialem speciem sortiuntur, et illa ab objecto est; recte dicit S. Thomas quod actus unus numero, habet solum unam ordinationem ad objectum, seu finem proximum, quia inde specificativum habet: respectu vero finium remotorum, pluralitatem habere potest, quia specificationem ab eis non habet, sed circumstantiam.

LVIII. Ad primam ergo objectionem supra allatam dicitur, bene posse inveniri in aliquo actu, etiam ab ipsa voluntate immediate elicitio, plures malitias specie diversas; sed non posse omnes essentielles esse, sed illam dici essentialem, quæ est prima, et sumitur ex objecto, vel ex conditione aliqua transeunte in rationem objecti: quæ vero superveniunt isti, accidentales sunt, et circumstant. D. Thomas autem, non negat posse dari plures malitias, seu species malitiæ in eodem actu, cum expresse eas admittat infra quæstione XVIII, pluribus articulis; sed negat ordinari posse unum actum numero in genere morali, nisi ad unum objectum, seu finem proximum, et consequenter non

posse habere plures essentielles, quia istæ ex talibus finibus proximis desumuntur, non ex remotis, ut docet infra quæstione IX, articulo primo, ad tertium. Plures vero malitias accidentales, et circumstantes, quales sunt quæ ex finibus remotis sumuntur, non negat D. Thomas cum ponat eundem actum, posse ordinari ad plures fines remotos. In his autem moralibus cum una species non sit substantia, et alia accidens, sed omnes ad genus pertineant accidentium, multoties contingit, quod id, quod secundum se, aut respectu alterius, accidentale sit, et e converso; istæ enim species, sic aliquando concurrunt, quod una essentialiter se habet, alia accidentaliter, et e converso; nec tamen per hoc, quidquam minuunt de malitia, nec minus tenetur quis eas confiteri, quia sufficit ad hoc, quod de se diversam speciem constituent, licet per accidens respectu hujus actus, accidentaliter se habeant: sicut qui furatur ut mœchetur, accidentaliter se habet mœchia ad furtum, illam tamen tenetur quis confiteri in omni opinione, quia de se speciem essentialem potest constituere. Itaque cum illa dicatur essentialis species, quæ ex objecto desumitur, accidentaliter vero, quæ ex circumstantiis participatur, contingit, id quod se habet ut objectum unius actus, atque adeo dat speciem essentialem, respectu alterius non habere rationem objecti, sed finis vel circumstantiæ, et sic dare accidentalem speciem, et sicut mœchia respectu furti, est finis circumstantis, cum tamen respectu intentionis adulterii, sit objectum.

LIX. Sed urget argumentum factum, quando simul, et ex æquo aliquis actus respicit in objecto suo, plures malitias, nec unam trahit a fine vel circumstantia, aliam ab objecto, sed omnes ab objecto, haurit,

ut in exemplo allato, quando quis uno, et eodem actu respicit in eadem persona sacrilegium, incestum, et stuprum; aut uno et eodem actu vult occidere clericos, et laicos, parentes, et extraneos, qui simul sunt in eodem loco. Ad quod relictis solutionibus aliquorum, qui dicunt talem actum, vel ex æquo esse in pluribus speciebus essentialibus, quod de se est apertum inconveniens, quod alicui conveniant plures essentiæ, si est unum in illo genere et linea: vel esse in una tantum essentialiter, et in aliis accidentaliter, cum tamen nullum detur fundamentum sufficiens, ad designandam hanc speciem, potius quam illam, pro essentiali: his inquam omissis, vera solutio est. Quod quando ex parte objecti, sic concurrant plures species, seu malitiæ, non sunt volitæ unico actu proximo, et immediate electivo, licet adunari possint in uno actu intento; ex una enim intentione plures actus, seu electiones oriri possunt, sicut sub uno fine contineri, et esse volita plura media. Et idem est de illo actu ita genere tali: Volo vitiose vivere in omni materia; aut: Studiose agere in omni virtute; aut: Volo orare, et jejuna pro satisfactione peccatorum. Ista objecta, seu species, si immediate in se attingantur, et non unum per se primo, et aliud ut adjunctum, et circumstantis, non eodem actu attinguntur formaliter, et explicite, licet uno actu intentionis possit aliquis intendere finem, in quo illi omnes actus, vel media implicite contineantur, et uniantur, et sic implicite uno actu intento attinguntur; sicut aliquis intendens satisfacere Deo, implicite vult orare et jejuna; et volens servire Deo, intendit vitiose vivere; et volens sibi per omnia placere, intendit vitiose in omnibus deliciarum. Hoc totum pertinet ad intentionem. Sed

si vult eligendo, attingere omnia ista objecta immediate, non potest unico actu omnes illas materias eligere, quia quælibet habet specialem difficultatem et regulationem, vel participationem rationis, aut deviationem ab ea, et ideo diversum actum electivum, expressum, et formalem postulant. De quo amplius dicendum est infra quæst. xviii, disput. viii, articulo ii.

LX. Difficilius est, quando plures istæ malitiæ specie diversæ, atque deformitates uniuntur in uno actu, vel objecto voluto; ut cum quis in eadem persona, cum qua peccat, invenit deformitatem incestus, quia consanguinea; et stupri, quia virgo; et sacrilegii, quia religiosa, et tamen totum illud simul denotat, ut expleat libidinem: aut quando unico actu comburit domum, in qua sunt clerici, et laici, consanguinei, aut parentes, etc. Dicimus autem, quod tunc si advertat ratio ad omnes illas malitias, non potest unico actu expresso, et electivo, circa illa omnia versari, licet unica executione externa, omnia illa mala perpetrentur; nec unicum dictamen practicum, et regulationem circa illa habere, si advertat ad omnes illas malitias. Si vero ad unam solam advertat, et reliquas in confuso, vel unam præ aliis eligat, reliquas permittat, illius tantum speciei essentialis erit ille actus; reliquæ malitiæ, accidentales erunt, ut pote materialiter ibi inventæ. Ratio est, quia licet in una persona convenient omnes illæ deformitates et in eodem actu libidinoso inveniantur, tamen diversæ difficultates vincendæ, ibiveniuntur, et diversa retractiva in genere morali a regulis rationis: ergo si advertantur, diversum actum formalem postulant in voluntate, licet versentur circa eandem personam materiale, et eodem executivo actu pos-

sint exerceri, sed non eodem voluntatis actu morali attingi.

LXI. Quod si dicas: Nam intellectus potest eodem actu omnes illas deformitates, seu rationes cognoscere, quia uniuntur in eadem ratione, seu objecto; pertinent enim ad unam, et eandem personam, et eodem externo actu attinguntur, ergo etiam eodem actu voluntatis attingi possunt: nec enim pro intellectu, ponenda est unitas sufficiens ad terminandum unum actum, et pro voluntate, est neganda, cum voluntas per intellectum reguletur, respondetur Cajetanum infra quæst. xii, articulo iii, admittere differentiam inter intellectum, et voluntatem quod intellectus non possit multa simul intelligere, voluntas autem potest simul plura intendere, ut ibi dicit S. Thomas etiam si subordinata sint. Unde potest quis colligere, quod facilius potest intellectus unire plura in actu suo, quam voluntas, et sic ferretur voluntas pluribus actibus in objecta, etiamsi intellectus feratur uno. Cæterum D. Thomas in eo loco, solutione ad secundum, eodem modo docet intentionem esse unam, seu in unum conjungere ea plura, quæ intendit, sicut intellectus; eo quod intentio est motus voluntatis in aliquid ratione præordinatum, et ideo, ea quæ sunt plura secundum rem, possunt accipi ut unus terminus intentionis, prout sunt unum secundum rationem. Plane ergo sentit D. Thomas unum voluntatis motum, semper habere unitatem termini formalem, licet plura materialiter respiciat, et sic etiam e converso, si sunt diversa objecta formaliter, erunt plures actus voluntatis. Quare dicendum est, quod intellectus practicus, et proxime regulans voluntatem, non est unicus, sed multiplex, quando voluntas plures actus elicit circa idem materiale objec-

tum, quia plura, et diversa dictamina, seu propositiones, quibus regulantur proxime diversi actus voluntatis, licet omnes illæ regulationes, et dictamina possint ab unico habitu prudentiæ oriri, si bonæ sint, quia virtutes sunt connexæ inter se, et conspirant in uno fine rectæ rationis, per ordinem ad quem sumitur unitas gubernationis, et regiminis in prudentia, et diversæ prudentiæ, per ordinem ad diversos fines specificantur ut docet S. Thomas 2-2, quæst. xlvii, articulo xi. Sed tamen ista prudentia format diversos actus, seu regulationes, et dictamina pro diversis actibus voluntatis, et e contra, formantur diversi actus indebitæ regulationis, quando sunt diversæ deformitates in objecto voluntatis, nec pure se habent ut circumstantiæ, quia tunc una non subordinatur alteri, sed ex æquo inveniuntur ibi: unde etiam intellectus proponens tale objectum, et deformitates diversas advertens, non subordinatim illas proponit, sed ex æquo diversas, et sic in voluntate sequuntur plures actus formaliter diversi, licet circa eandem personam, vel materiale objectum versentur plures deformitates, seu malitiæ specie diversæ, quia unitas illa materialis non facit per se differentiam specificam in genere morali. Et licet unica externa executione illa occisio plurium, vel ille incestus sacrilegus paragatur, tamen bene potest voluntas circa unum actum externum, qui virtute æquivalet multis, varios actus habere, quia singula, quæ ibi sunt, advertenter eligit, juxta proprias regulationes, et difficultates, non subordinatim positas, licet quatenus subordinantur uni fini intentione, unico actu intentionis attingi possint: sicut etiam intellectus pluribus conceptibus exprimi ad intra, quod unica voce æqui-

voca externe profert per linguam.

LXII. Ad ultimam objectionem a principio dicitur, quod in actibus, qui habent plures bonitates, vel malitias subordinatim positas, non est difficultas, ibi enim bonitas, vel malitia ex objecto desumpta, est specifica, seu essentialis in ordine morali; quæ vero ex fine remoto, vel aliis circumstantiis habetur, est accidentalis, et utramque in eodem actu reperiri non est inconveniens. Si vero concurrant duæ species, altera boni, altera mali, est duplex opinio. Quidam putant, utramque posse in eodem actu consistere, nec se destruere, quando non sunt circa idem, sed una est circa objectum, alia circa circumstantiam, et tunc eadem utentur regula: Quod semper ea quæ ex objecto est, dat essentialem speciem moralem, quæ vero ex circumstantiis, accidentalem. Alii vero putant, concurrentibus istis duabus speciebus in eodem actu, etiam circa diversa, se destruere, et malitiam moralem, quantumcumque sit circumstantia, destruere bonitatem: quia bonitas dicit integritatem, seu plenitudinem essendi, quæ destruitur ex quocumque defectu ejus, quod ad talem pertinet integritatem, et sic circumstantia mala transit in conditionem objecti, quatenus illud vitiat. Et sic solum est una species essentialis moralis in uno actu. Quid autem inter istas opiniones discernendum sit, infra circa quæst. xviii dicemus.

QUÆ SIT PRINCIPALIOR SPECIES IN ACTU, ILLA QUÆ EST IN ESSE NATURÆ, VEL IN GENERE MORIS, ET IN HASTA, QUÆ A FINE PROXIMO, VEL A REMOTO?

LXIII. Omnes istas species, seu formalitates concurrere in actu morali, constat, et D. Thomas illas enume-

rat infra quæst. xviii, art. iv, ubi colligens ea, que concurrunt ad actionem moralem bonam dicit, quod in actione humana, bonitas quadruplex considerari potest. Una quidem secundum genus, quia quantum habet de actione, et entitate, tantum habet de bonitate, ut dictum est. Alia vero secundum speciem, quæ accipitur secundum objectum conveniens. Tertia, secundum circumstantias, quasi secundum accidentia quædam. Quarta autem secundum finem, quasi secundum habitudinem ad bonitatis causam. Ex his quatuor ingredientibus, seu concurrentibus ad bonitatem in actu, prima vocatur a D. Thoma secundum genus, non quia entitas, seu substantia actus genus logicum sit, sed genus, quasi physicum, seu subjectivum, eo modo quo subjectum dicitur loco generis esse, in artificialibus, et compositis accidentalibus: quia se habet subjectum, quasi quoddam potentiale, et receptivum formarum, non ut prædicatum contrahibile. Secunda vocatur secundum speciem, non solum secundum speciem infimam, sed etiam sub alternam, quia secundum genus morale, et hoc sumitur secundum objectum conveniens, hoc est, conforme aut regulabile per rationem. Tertia pertinet ad circumstantias accidentaliter se habentes ad speciem moralem. Quarta secundum finem, qui est principalissima circumstantia, quia causat, seu motivat bonitatem.

LXIV. Inter has species, quæ pertinet ad entitatem, seu substantiam actus, est in diversa linea et ordine, quam illa quæ est in genere morali: sicut lignum, aliam speciem habet in genere ligni, seu entis naturalis, quam in genere artificiali, sicut est cathedra, vel scamnum. Et proprie non sunt comparabiles. Sed tamen species substantiæ, seu

entitatis rei, simpliciter et in esse entis, semper est principalior, quam species accidentalis, quæ supervenit ei, præsertim quando entitas ipsa vere est substantia, ut lignum respectu formæ artificiosæ. Sed in actibus moralibus, ipsa etiam substantia, et entitas actus, quoddam accidens est, nempe actus ipse internus, vel externus; moralitas vero ipsa, accidens etiam est. Et quidem in opinione, quæ ponit moralitatem esse denominationem extrinsecam supervenientem actui, manifestum est, speciem moralitatis esse minus principalem, quam speciem naturalis entitatis. In opinione vero, quod est realis respectus ad objectum regulabile regulis rationis, supponens necessario libertatem, videtur aliquid perfectius in actibus bonis, et virtuosis, quia superaddit ad perfectionem naturalem, eamque consummat, et perficit, et alias non est relatio pure prædicamentalis, sic enim esset inferior entitate actus, qui est qualitas; sed est respectus transcendentalis, entitative identificatus cum actu, quia erga objectum est, ut regulabile. In actibus autem vitiosis, aliquid imperfectius est, propter defectum annexum. Unde actus quatenus liberi, et virtuosius, perfectiores et nobiliores sunt, actibus necessariis ejusdem potentia. Inter ipsas vero morales species, illa est perfectior, quæ sumitur ex nobiliori objecto; et ita species, quæ sumitur a fine semper est perfectior illa, quæ sumitur ab his, quæ sunt ad finem; unde tamen quam aliquid superius imperat illis, et perficiuntur media ex participatione ad finem, sicut lumen inferius in intellectu roboratur ex participatione, et conjunctione ad lumen superius. Sed de his latius agendum est infra quæstione xviii, circa art. iv et vi et vii, et q. lxvi, ubi igitur de æqualitate virtutum.

ARTICULUS IV.

Utrum detur finis intermedius, an omnis finis sit ultimus?

Admisimus supra articulo primo, inter alias divisiones finis, quod alius est finis ultimus, alius proximus, seu intermedius; eamque divisionem Aristotelis, et D. Thomæ esse diximus, in locis ibi allegatis. Plures auctores illam admittentes adducit Ægidius a Præsentatione, lib. i de fine in communi, quæstione tertia, articulo unico, estque valde communis inter theologos, et philosophos.

I. Nihilominus in hac re dissentit a reliquis p. Vasquez, et tum in hac prima secundæ, disp. iv, c. i, tum i p. disp. lxxxii, c. ii, contendit, proprie nullum dari finem intermedium, sed omnem finem, si vere finis sit et causalitatem finalem exerceat, esse ultimum; vel simpliciter respectu omnium actionum operantis, vel in aliqua serie, et ordine determinato, in quo sistit aliqua actio, vel ars. Nec negat Vazquez, posse id quod est medium, et gratia alterius appetitur, etiam habere aliquam bonitatem propriam, ratione cujus appeti possit propter se, et ut finis: sed dicit, quod in ea serie et ordine, in quo appetitur gratia alterius, seu ordinate ad alium finem, non appetitur ut finis, sed ut medium. Quod si ut finis appetitur, et ratione bonitatis propriæ, hoc ipso ab illa serie, et linea extrahitur, poniturque in alia, in qua finis erit, sed non intermedius, sed pro illa serie ultimus. Fundatur in auctoritatibus quibusdam Aristotelis, et rationibus, quas solvendo referemus.

II. Indubitata tamen sententia Aristotelis, et D. Thomæ est, dari fi-

nem intermedium, qui subordinetur ultimo, et vere finis sit sive simpliciter, sive in aliqua determinata linea, et serie. Ex Aristotele citantur tria præcipua loca. Primus est secundo physicorum, textu xxix; item v met. textu ii; denique i ethicorum, textu xxiii. Verba prioris loci varias habent versiones, ideoque ad varias interpretationes declinant. Quidam sic legunt apud D. Thomam citato loco ii physicorum, lect. v, secundum antiquam translationem: « Adhuc autem, quemadmodum finis. Hoc autem est, quod cujus causa, ut ambulandi sanitas; propter enim quid ambulat? Dicimus, ut sanetur: et dicentes sic, opinamur assignare causam. Et quæcumque jam movente alio intermedia sunt finis, ut sanitatis, macies, aut purgatio, aut potiones, aut organa, omnia enim hæc, finis gratia. » Hanc translationem secutus D. Thomas quia antiqua erat, exponit ibidem lect. v Aristotelem sic: « Quod dixerit intermedia omnia, quæ sunt inter primum movens, et ultimum finem, omnia sunt quodammodo fines: » et infra: « Et hoc inducit, ne aliquis credat, quod solum id quod ultimum sit causa, sicut cujus gratia, propter hoc quod hoc nomen finis, ultimum quoddam esse videtur. Est igitur omnis finis ultimus, sed non simpliciter, sed respectu alicujus. » Ita D. Thomas in Aristotelis expositione. Scio textum istum aliter verti, et in Argyropoli versione sic haberi illa verba: « Et quæcumque alto movente inter ipsum, et finem fiunt, ut inter medicum, sanitatem, macies, aut purgatio, aut instrumenta, universa enim hic, ipsius finis gratia sunt. » Non meminit autem Argyropolus illorum verborum, quod intermedia finis sunt. Sed, et juxta antiquam translationem, quam commentatus est D. Thomas, intelligit Vazquez illa verba,